



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

226. feria 3. de subigendis paßionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

## MEDITATIO CCXXVI.

Feria 3. Domin. 8. post Pentecost.

*De subigendis passionibus.*

**V**ldebo hominem ab undecim passionibus, quasi totidem feris raptari in præceptis. Petam modum has passiones frenandi.

*Cons. 1.* Duo esse juxta Philosophum. 6. Ethic. propter quæ passiones nostræ usque adeò effervescent, ut hominem bruto similiorem reddant, *delectabile, aut triste*: contra quas incantatrices sapientiâ mihi opus est, & prudentiâ cœlesti. 1. Amorem cohibere ab amicis, rebusque visibilibus, & ad invisibilia transferre. 2. Odium eliminare, & ejus gemina, injurias, & proximi detractiones in meis peccatis collocare. 3. Desiderium à terrenis abstrahere, ad cœlestia erigere. 4. Fugam moderari, quâ non bonos, nec excellentem virtutem, sed imperfectorum ignaviam averfer. 5. Delectationem etiam in rebus licitis comprimere, & nunquam propter seipsam cupere. 6. Tristitiam immoderatam ab adversitatibus conceptam abijcere. 7. Spes vanas irridere, ac de divino auxilio confidere. 8. Non timenda non timere, & puerilem erubescerentiam eruere. 9. Audaciam temerariam comprimere. 10. iram reprimere, & ultra rectæ rationis mensuram non

non



408 FERIA 3. DOM. 2. post Pentecost.

non excandescere. 11. Desperationem nullo modo admittere.

*Conf. 2.* Quomodo Deus passiones racionales, irascibiles, & concupiscibiles regat in nobis. Rationalem vim animæ Spiritus sanctus splendore divinitatis suæ perlustrat ad cognoscendam suam in omnibus laudatissimam voluntatem. Irascibilem verò confortat ad resistendum omnibus inimici machinantibus, & ad vincendum omne malum. Concupiscibilem autem vim animæ inflamat, ut ardentem toto corde, totâ animâ, totisque viribus Deum amet. Ita Dominus Lib. 4. Vitæ S. Gertrud. cap. 61.

*Conf. 3.* Actiones mortificatarum passionum sunt. 1. In rem aliquam illicitam, passionem, sive prosecutionem, sive fugam ire non sinam. 2. In ea bona, quæ superflue quaeruntur, aut mala poenæ levia, quæ sine necessitate vitantur, affectum non permittam moveri. 3. Bona necessario quaerenda, & mala necessario vitanda, cum tranquillitate ac moderate quaeram, & sine ulla perturbatione, quantum mihi à natura permissum fuerit, & à gratia concessum evitabo. 4. Bonis præsentibus sine nimia læticia uti, & malis præmentibus sine nimia tristitia me submittere. Petam has animæ agilitates, quæ ad januas mortis conducunt, vitiorumque sunt



*Feria 4. Domin. 8. post Pentecost. 409*

sunt seminaria, in me sanari, & sanctificari, sicut erant sanctæ Passiones in Christo.

MEDITATIO CCXXVII.

*Feria 4. Domin. 8. post Pentecost.*

*De ordinandis cogitationibus.*

**A**spiciam muscas suavitatem mellis auferentes esse cogitationes non mortificatas. Petam eas virtuti subijcere.

*Cons. 1.* Quanta sit deformitas cogitationum non mortificatarum, de quibus ait Cassianus Collat. 14. cap. 11. *Omnis cogitatio, non solum turpis, sed etiam otiosa, & à DEO quantumcunque discedens, à perfecto viro immundissima fornicatio reputatur.*

*Cons. 2.* Triplex cogitationum esse genus. Immundas, otiosas, necessarias. Primæ duæ ascendunt de corde malè affecto, quasi fumus contagiosus de abyssu; quarum nihil reperitur in corde Christi sanctissimo, Deo Patri velut Magneti semper unito. *Vna cogitatio felix est, cogitare de Domino, inquit D. Hieronymus, de reliquis, ait idem, nolo sinas cogitationem crescere. in Psal. 93, Epist. ad Eustoch.*

*Cons. 3.* Actiones ejus sunt. 1. Assiduis precibus à Domino efflagitare, ut cor meum à malis & ineptis cogitationibus emundet. 2. Principijs cogitationum obstare, nam serò

S

medicina